Universitätsbibliothek Basel, Frey-Gryn. Mscr. VII 2 Bd. 9, 146.
Im Auftrag von Herrn Prof. Ernst Staehelin.

Vásárhelyini,
1a Novembris.
An. 1776.

Summe Venerando Viro, ac Domino,
Dño Jac: Christophoro Beckio, S.S. Theologiæ Doctori ac Professori celeberrimo, S.P.

Ut aqua frigida animæ sitienti, sic nuncium bonum è terra longinquâ. Hoc sacrum Epigramma Divi Paroemiastis mentem meam subierat Vir Clrme, quum litteras Tuas /: Basileâ datas 16a Julii An. 1774 :/ sale, melleque charitatis respersas, lætus gratusque acciperem.

Certè valdè jucundum mihi erat, Te, tanto fastigio VIRUM, mei non tantum non fastidivisse; verum immerentem, litteris etiam amicissimis fuisse dignatum. Pro quo Tuæ Charitatis τεκμηρίῳ, perpetuas dum vixero, persolvam grates.

O! Suavem; firmamque terris ac cælo cognationem, quam parit Communio Sanctorum, originem nimirum ducens, non à fratrum in carne συγγενῶν, vitioso; verum immortalis DEi Sangvine, virtute cujus Te, mihi /: ut nunc ambos nos duntaxat vivere suppo- nam :/ in fide spe et sorte Sanctorum reddidit conjunctissimum!

Heu! quos non potest, quin certè debet producere φιλαδελφίας effectus, isthæc è Sangvine CHRISTI enascens, et suâ naturâ con

cors

confraternitas, non minus inter locorum intervallis Ut sumus dissitos, quàm linguis laribusque ac focis proximos; quum hoc in passu gradus aut locus /: quod ajunt :/ non variet speciem.

Atque isthoc etiam ego stimulo excitatus, nunc alterâ vice scribo ad TE Vir Clrm̃e non tam atramento, quam spiritus Viventis DEi /: qui mera Charitas :/ penicillo: sperans, quin tutò confidens, TE quoque ex eodem DIVINÆ cognationis fundamento, litteris hisce meis, in tabulis cordis Tui locum aliquem daturum. Certè ego, hoc genere officii, accessum quendam et emolumentum ad Veram Vitam animæ meæ redundans, ovanter persentisco; Cum enim Tibi scribo, Hominem DEi, magnum Gloriæ DEi instrumentum pia attentione cogito; scripto peracto /: quod jam et antè solebam :/ vivaci Tui memoria, isthanc animæ actuositatem adaugeo; denique, quæ nobilissima functio animæ est, TE, Tuorumque in Domino laborum progressum, materiis Precum mearum interpono.

Ut jam aliquid, de anteactis etiam commemorem:

filius meus Paul: Szöngi, qui aliquamdiu
Clientelâ Vestrâ /: quod utinam diutius
fecisset :/ fruebatur, tandem post varios
casus et vana, in multis juventute aetatis
discrimina, e Belgio, per Germaniam, Pat-
riae Suae redditus: jam pro modulo et men-
sura Gratiae, CHRISTO, ejusque Ecclesiae, in
VERBO, ministrat. Suspicor ego, illum, Vo-
bis, TE praesertim Patre et Patrono insalu-
tatis illinc discessisse. Quod si ita factum,
dabis quaeso, mei gratiâ Veniam ipsi, tam-
quam alteri Onesimo. Ego verô tum ex mea
parte Pater, tum filii loco maximas quas pos-
sum habeo gratias Vobis omnibus qui illum al-
mo Vestro patrocinio fovistis, praesertim Tibi
ViR Celeberrime, qui illum singulari ad-
fectu et ope amplectebaris. Praemium Bene-
ficentiae Vestrae, quod ego in Votis habeo, ipso
actu referendum DEO peregrinantis Jacobi
prece indefinenti per fidem in Christo devo-
tissime committo.

Eadem qua filium anteac spe, nunc
iterum commendo Tibi, ViR Celeberrime,
ac per TE Illustrissimae Vestrae Academiae Pro-
ceribus, latorem harum D. Johannem Szabo
mihi ex Sorore nepotem charissimum, pia
sua

natri, Votorum filium, juvenem modestum, moratum, docilem, ac Vestrum, Tui praesertim avidissimum. Felicem me dixero, si hunc meum fratrem ac respective filium, quem potissimum ego enutrivi, eo animo exceperis quo olim si liceat componere parva magnis: Julius Caesar, de sibi a Cicerone commendato Cliente, huic rescripserat: — Tu mitte alios, quos ornem.

Ex posito Superius Communionis Sanctorum fundamento, enixe optarem Vir Clarissime ex Te percontari, de rebus etiam quibusdam innocuis ad Religionis nostrae commodum ac lumen spectantibus. Ad quod ipsum, si mihi libertatem dederis: habebo quaedam Tecum ~~quaedam~~ communicanda. Nunc unum hoc adscribo: Mentis sum, post alios labores jam evulgatos Harmoniam 4. Evangelistarum, ordine chronologico, in breve quoddam compendium redigere 4. Christo famulaberis, si in hoc proposito, me juveris Tuo consilio. Communico Tecum quaedam mea Epigrammata. accipe benigno animo. Vale Vir Celeberrime, meque Te vehementer amantem redama, qui sum, Summe Ven: Tui nominis Cultor sincerissimus, Benj: Szőnyi, Ecclesiarum quas Steph. Szegedinus in his oris Hungariae reformaverat Senior. m.p.

4. in usum Simplicissimorum, qui multi sunt Patria nostra hominum, idque lingua nostra vernacula. Cogitabam ea fini de vertendo opusculo Cel. Poliet, quoad illam partem, in qua 4. Evangelia pulcherrime contexuit. Valde mihi placent in eo Quaestiunculae rebus praepositae, easdem egregie illustrantes. Si Tu V. Cl. in hoc intento me confirmaveris: manum operi admovebo Deo volente ac juvante.